Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2665
Quelle:
Copyright:

Peccata aggravantibus, de Articulis Fidei, Impedimentis Matrimonii, septem Sacramentis, Iudicio extremo, 3. dotibus Animae, 4. dotibus Corporis, Peccatis alienis, Decalogo &c. Hiulca, ut plurimum, et plena peccatis metricis. Distichon ultimum:

Larga dei pietas veniam non dimidiabit.
Aut nihil aut totum propitiando dabit.

III. *fol.* 121. absque titulo *Passio Christi* e IV. Evangelistis συγχρονος exposita initio ducto ab Evangelii *Job.* C. 13. *Presens ewangelium in tres partes diuiditur, nam agit de christi caritate quam nobis exibuit* &c. *Johannis Hussi* Operibus inserta *edit.* 1715. P. II. p. 8. non tamen absque omni prorsus differentia.

IV. *fol.* 165. p. 2. Excerpta ex *Augustino*, *Johanne Chrys.* *Bernardo*, Concilio *Gangrensi*, de quaerendo Regno Dei, B. V. Maria, Sacerdote fornicatore, vitandis Clerico Feminis.

V. *fol.* 170. p. 2. *Sermo Beati Bernardi super Cantica* LXIV. Incipit: *Adsum mee promissioni. Capite nobis vulpes paruulas* &c. Ut edit. *Maur.* T. III. *col.* 1484. Accedunt absque inscriptione *Sermo* LXV. et LXVI. Ad marginem prioris, ut in *edit.* legitur: *Triplices vulpes.* Posterior paullo ante finem in iis verbis: *quod etsi pena eadem videretur* — — deficit.

Juvat addere *fol.* 128. Possessorem supra nominatum sequentia adscripsisse: *Staciones Cuiusdam Boemi Sacerdotis Wenceslai Rossij a pressorouia Ordinati Ytalie Mudone* (Mutinae in Italia?) *Anno* 1516. Enumerantur itaque usque ad an. 1558. varia Patriae loca, quibus sacrum Curionem egit, inter quae et *Praga* ad S. *Martinum* et S. *Aegidium*, sed *Pisek*, ut ait, *tenet primicias.* Ex ordinatione *Italica* Nostri concluderem, eum ab Utraquistis non stetisse; video enim in Epistola Administratoris et Consistorii *Prag.* ad *Frid. Nauseam* inter Epistolas ad eum datas Edit. *Basil.* 1550. f. L. X. p. 449. Episcopos *Italiae* ad unam tantum Speciem populo distribuendam Candidatos Sacerdotii obligasse.

DCC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 111. 4. luculente, calamo tamen diverso exaratus, et olim *Wencesl. Rossii*, ut *fol.* 41. his verbis testatur: *Sacerdos Wenceslaus Rossius a pressorouia a multis temporibus et annis habuit sermones hos et scripsit hec anno post Iubileum primo Tempore regis Ferdinandi in duba Ciuitate*, complectitur *Sermones* de Tempore sive primas potius Sermonum lineas a *Dominica I. Adventus* usque ad *Dominicam in Palmis.* Initium est: *Erunt signa in sole et luna. Luc. 21°. In hoc Ewangelio christus declarat sua* 517